



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Romualdus Ab. 19. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

At ille bis tantum in septimanâ cibum
 capiens, crebrò interim corpus in vepres
 abiciens ad martyrum patientiam se du-
 rabat. Post Romam profectus, & Ar-
 chiepiscopatus honore maclatus, & jam
 ad purpuram aspirare ausus, in Russiam
 abiit. Ibi post multa ludibria rex cum
 Divo ita paciscitur: Si rogos geminos,
 qui juncti flammam sociarent, illæsus per
 ambularet, tum sese etiam in Christiano-
 rum sententiam pedibus ambulaturum.
 Dictum factum. BONIFACIUS per
 rogam, rex ad partes Catholicorum tran-
 sit. Ad regis porrò exemplum innumera
 multitudo confluit. Mox sua laborem
 præmia secuta. BONIFACIUS à ger-
 mano Regis capite truncatus, nomini
 denique suo satisfecit. Ex Pet. Damiano
 ap. Sur. in vitâ S. Romualdi.

*Universi Christiani agnoscant se regii
 generis, & sacerdotalis officii consortes:
 quid enim tam regium, quam subditum
 Deo animum corporis sui esse rectorem?
 quid tam sacerdotale, quam vivere Domi-
 no conscientiam puram, & pietatis hostias
 de altari cordis offerre? S. Leo serm. 3. in
 ann. Ass. suæ.*

S. ROMUALDUS AB. 19. Junii.

Spectator fortè ROMUALDUS adfuit,
 cum parens duello germanum suum
 sustulit. Itaque cum animo suo putans
 cen-

19. Junii. VITÆ SANCTORUM. 391
censuit, quod pater manu, hoc se ocu-
lis parricidium perpetrassē. Quare ad no-
xam expiandam, concedere ad aliquod
tempus in cœnobium statuit. Sed fami-
liaritate cœnobitæ, nescio cujus, & as-
pectu è cælo semel iterumque ad se ve-
nientis D. Apollinaris captus, pedem,
ne sapius offenderet, nunquam jam re-
ferre in mundum statuit. Quare fundâ-
menta Ordinis illius jecit, quem hodie
Camaldulensem dicimus; qui quidem
in quantum brevi fastigium assurrectu-
tus esset, scalæ indicarunt ROMUALDO
per quietam visæ, in quibus suos pul-
chro ordine ad cælum vidit conniti. Ne-
que dubitarunt nobilissimi quique proce-
res ex aulâ Ott. III. Imp. hâc viâ cælum
petere. Ipse Imp. Romam abiturus, post
reditum iuscem accessurum se sponndit.
Sed ROMUALDUS illa subjecit: *Si Ro-
mam videbis, Ravennam ultimùm vidi-
sti.* Nec fefellit. Redeuntem mors ex iti-
nere insidiis suis excepit, documento
futurum iis, qui cùm mundo exire labo-
rant, iter tamen differunt, aut viarum
ambages quærunt, cùm compendia ha-
berent. Ad Cæsarem quoque Henricum
cùm venisset ROMUALDUS, velut ad præ-
dam accurrit aula, vestemque ejus pelli-
ciam diripiens, ostendit quanti virum
faceret; è cujus veste unicum pilum tan-
ti fecit. Henricus ipse in eam vocem e-
rumpere auditus est: *O anima hæc mea do-*

Bb 4

mici-